DE GRAVISSIMA HERNIARVM SPECIE, ENTERO-EPIPLOCELE

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BVCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XXV. OCTOBR. A. S. R. CIↃIↃCCXXXXIX.
H. L. Q. C.
IN REGIA FRIDERICIANA
DISPVTABIT

IOANNES AVGVSTVS HARNISCH,
MARTISBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

§. I.

Ex gravioribus ſonticisque illis morbis, *Introitus.* qui omnem Chirurgi circumſpectionem & minimarum etiam circumſtantiarum perſcrutationem requirunt, certo certius ſunt *Herniae*. Harum enim diagnoſis tantopere ſaepius eſt implicata & obſcura, ut qui in qualitercunque momentoſis herniis, non accurate trutinatis rebus, vel iudicium ferunt, vel, ſuis viribus freti, ipſam operationem ſuſcipere audent, ſaepiſſime quam maxime hallucinentur, cum aegroti maximo periculo, ſuae vero ipſius gloriae detrimento. Qua de re plura proſtarent exempla, ſi hic ea referendi eſſet locus. Patet igitur, non inutile coeptum eſſe, ſi omnibus viribus in naturam herniarum inquirere, exactius varias earum ſpecies indagare, & praecipue diligenter obſervationes inſtituere allaboramus, utpote quarum ope tam Medicina, quam Chirurgia, ad maiorem ſubinde, tandemque etiam ſummum certitudinis gradum evehi poteſt. Idcirco etiam

mecum conſtitui, in praeſenti ſpecimine inaugurali ſeorſim graviſſimam illam curatuque maxime difficilem Herniarum compoſitarum ſpeciem, quam *Entero-epiplocelen* vocant, uberius explanatam ſiſtere, quoniam ea prae reliquis aegrius plerumque diiudicatur, & ſatis periculoſa ſaepe conſectaria infert, adeoque etiam attentiorem omnino conſiderationem meretur. Deus ergo T. O. M. adſit clementiſſime conatibus, Lectorque benevolus benigne iisdem faveat.

§. II.

Herniae definitio.

Tumor praeternaturalis in regione abdominis, & ſpeciatim in inguine vel ſcroto proveniens, atque a prolapſu contentorum quorundam abdominalium, inprimis omenti & inteſtinorum, ortum ducens, proprie dicitur *Hernia*, ſeu *Ramex;* Graecis κήλη, *tumor.*

a) Herniae morbum olim obſcoenum habitum fuiſſe, patet ex CELSO *Libro VII. Cap. XVIII.* & exinde forſan ratio peti poteſt, cur in Veterum monumentis parum de iis relatum legimus. Poſtquam autem inprimis praeterlapſo ſeculo Chirurgi in Gallia de diverſorum ammatum inventione magis ſolliciti erant, aliique homines lucri cupidi medicamentis internis ſe herniis mederi velle & poſſe gloriabantur, & inter haec quaedam Regia adeo manu diſpenſabantur, prout DIONIS pag. 222. refert, hoc malum plus innoteſcere coepit, & frequentius aegri, a turpitudinis ſuſpicione iam liberi, medelam quaerebant.

§. III.

Definitionis dilucidatio.

Dantur quidem alia adhuc tumorum genera, in ſcroto & umbilico praecipue occurrentia, quae *herniarum* nomine quoque inſigniri ſolent, aſt num recte? plane non

non video. Habent enim hi morbi fere nullam inter ſe convenientiam, ſed potius ratione cauſarum, methodi medendi aliarumque rerum, plane a ſic dictis herniis differunt. Et praeterea, ſi eiusmodi tumores ad hernias referamus, certe & multi alii eodem iure frui poſſent. Adpellamus collectionem materiae in ſcroto *herniam humoralem;* cur ergo non & collectio materiae in inguine, ſive bubo, hoc nomen mereretur? Et ulterius, quid de prolapſu uteri ſentiam? Invenimus ibi contentum quoddam abdominale e ſede ſua dimotum, adeſt tumor, eademque curatio, nempe repoſitio, locum invenit, & tandem quoque repoſita parte, faſciis, uti in herniis, continetur. Certiſſime ergo hoc malum, ſi doctrinam herniarum novis ſpeciebus locupletare intenderemus, prae omnibus iſtis tumoribus, herniis adnumerari deberet *b)*; dum nimirum illi nullam aliam cum his monſtrant convenientiam, praeter hanc unicam, quod forſan eo in loco, ubi hernia vera contingit, talis quoque tumor, vel ex collectione ſeri, vel dum fungoſi quidpiam excreſcit, interdum oriatur. Interim iam omnibus fere Chirurgis receptum uſitatumque eſt, & hos tumores nomine herniarum dignos iudicare, quare ne innovandi pruritu laborare videamur, optimum erit, loqui cum vulgo, & ſentire cum doctis. Quod vero Veteres iam ipſi obſervaverint, non commode dictos tumores ad herniarum claſſem referri poſſe, exinde eluceſcit, dum ſtatim diſtinctionem fecerunt, inter *hernias veras*, ubi deſcenſus omenti vel inteſtini in culpa eſt, & *hernias ſpurias*, quae dictos tumores comprehendunt.

b) Huius ſententiae ſuo iam tempore fuit BLEGNY, unde in

arte ſua herniarum curatrice Cap. IV. ſimul uteri prolapſum pertractat. Vid. eiusdem *Zodiacus medic. Gallic. Ann. I. Menſ. I. p. 222.*

§. IV.

Herniarum verarum diviſio earumque ſpecies.

Herniae ſtricte ſic dictae, ſive *herniae verae*, varias adhuc agnoſcunt ſpecies, variasque diviſiones admittunt. Fibrae musculorum abdominis transverſorum, & interdum rectorum, ſi ex quacunque cauſa, inprimis vulneratione, diductae, vel plaga ictuque relaxatae ſunt, locus iſte in ſuperficie abdominis redditur debilior, ut non aeque reliquarum ſubiacentium partium preſſioni reſiſtere poſſit. Hinc dum actio reactione ſic fortior facta eſt, locus iſte tandem extrorſum prementibus cedit, omentum vel inteſtina protruduntur, elevant cutim, & herniam formant, quae dicitur *ventralis*, de qua vero inter auctores parum conſtat, cum admodum raro occurrat *c)*. Umbilicus etiam ſaepe variis ex cauſis laxatur, inprimis in infantibus valde eiulantibus, utpote in quibus annulus umbilicalis non dum iuſtum robur ac firmitatem nactus eſt, unde, viſceribus abdominis verſus locum iſtum relaxatum prementibus, peritonaeum inteſtina non ſatis continere poteſt, hinc ab irrumpentibus omento vel inteſtino diſtenditur, & alia herniae ſpecies oritur, quae *umbilicalis*, vel graeco idiomate ἐξόμφαλος, ſeu ὀμφαλοκήλη audit, in tres iterum alias ſubdiviſas abiens, quando nimirum vel omentum, vel inteſtinum ſolum, vel utraque ſimul tumorem ſive herniam formarunt, harumque prima dein Graecis dicitur ab omento ἐπιπλοόμφαλος; altera vero ab inteſtino ἐντερόμφαλος, & tertia denique ἐντεροεπιπλοόμφαλος vocari poteſt.

c) Adnu-

c) Adnumerant etiam herniis ventralibus tumores, qui nonnunquam in interſtitio musculorum rectorum ab omento vel inteſtino dimoto formantur, proprioque nomine nondum adhuc inſigniti ſunt. Oriuntur ipſi mox ſupra umbilicum, quod inprimis in infantibus contingit; mox infra ipſum, licet rarius, hocque vel in gravidis, vel quae crebrius partu defunctae fuerunt, vel quarum abdomen a quacunque cauſa valde extenſum eſt, quae omnia fibras aponevroticas lineae albae admodum laxare queunt.

§. V.

Reliquae herniarum verarum ſpecies.

Deinde vaſa iliaca, quando ex abdomine deſcendunt & nomen cruralium accipiunt, ſupra muſculum pſoas & iliacum & ſub ligamento ſic dicto Fallopii iter ſuum ad femora dirigunt. Hic locus transgreſſionis dictorum vaſorum ab Anatomicis adpellatur *arcus cruralis*, minus tamen iure quodam, cum in naturali ſtatu nulla apertura ibi inveniatur, ſed ea modo ſcalpello in praeparationibus monſtretur. Interim, vi quadam concuſſoria aliave corpori obveniente, facile accidit, ut hic arcus cruralis, utpote pinguedine modo clauſus, preſſioni inteſtinorum vel omenti cedat, illisque transitum ad femora usque ſub faſcia lata permittat. Et en! iterum Ramicis ſpeciem, quae ob locum *cruralis*, ſeu graeco vocabulo *μηροκήλη* vocatur, foeminisque inprimis ſolemnis eſt, quae, ob anguſtiores annulos abdominales, non tam facile herniis inguinalibus ſunt obnoxiae. Veſica urinaria etiam interdum, licet non valde frequenter, inter illas partes eſt, quae prolabi ſicque herniam efficere posſunt. Quando enim magna urinae copia eſt repleta valdeque extenſa, aut ſi in gravidis ab expanſo utero in

medio

medio comprimitur, ut ſupra oſſa pubis emineat, facta ibi urinae repletione, & accedente niſu quodam, facile per annulos abdominales ad inguen, immo in maſculis interdum ad ſcrotum procidit, & herniam inducit, κυϛιοκήλη dictam *d)*. Tandem duo herniarum genera, viris praecipue frequentiſſima, adhuc ſuperſunt, nimirum *hernia inguinalis & ſcrotalis*, quas tamen, uſu recepto, ſub uno nomine *herniae inguinalis* comprehendunt, eamque rurſus diſtinguunt in *herniam incompletam*, ubi tumor hernioſus in inguine ſubſiſtit, & in *completam*, ubi partes dimotae profundius deſcenderunt, & quidem in foeminis ad labia usque vulvae, in viris autem usque in ſcrotum.

d) Hoc Ramicis genus deſcripſit Dn. PETIT in Diſſertatione quadam Academiae Regiae Scient. Pariſ. exhibita; item SALZMANNVS in Diſſertat. *de Veſicae urinariae hernia*, Arg. 1732. vide etiam RVYSCHIVM *Obſerv. anat. chirurg. XLVIII.*

§. VI.

De herniis ſpuriis.

Tumorum, quos *herniarum ſpuriarum* nomine Veteres inſigniebant, quinque numerabant ſpecies, ut *Hydrocelen, Pnevmatocelen, Sarcocelen, Varicocelen, & herniam humoralem.* Ultimae tres ſpecies raro ſolae adparent, ſed utplurimum tanquam ſymptomata aliorum morborum occurrunt, cum nimirum, ex variis cauſis morbificis praecedentibus, in ſarcocele fungoſi quidpiam excreſcit, in varicocele vaſa ſpermatica, ut & ipſius ſcroti, varicum ad inſtar intumeſcunt, & in hernia denique humorali materia quaedam circa teſticulum colligitur. Hydrocele autem, ſive collectio ſeri in ſcroto, frequentius occurrit,

currit, & ſaepe per ſe ſubſiſtit, praecipue ſi illata ſcroto vis quaedam in cauſa fuit; ſaepius vero hydropem aſciten comitatur, & tunc non niſi hoc morbo ſublato tollitur *e)*. Pnevmatocelen denique, in qua a vapore, ſeu aëre, tumor in ſcroto producitur, Veteres uno fere ore deſcribunt, eiusque diagnoſin, cauſas & curationem fuſius exponunt; aſt recentiores plurimi exiſtentiam huius herniae in dubium vocant & a Veteribus diſſentiunt. Illuſtr. HEISTERVS plane a contraria parte ſtare videtur, ſententiamque ſuam exemplo probare conatur *f)*, quod num ſatis luculentum ſit, cum PLATNERO dubito *g)*. Excellentiſſ. IVNCKERVS hanc herniam quidem admittit eiusque ſanationem tradit, ob omiſſa autem exempla confirmantia, dubitantes de eius exiſtentia non perfecte convincit *h)*. Praefatus tandem b. PLATNERVS in nullius abit partes *i)*, ac CHESELDEN, *de la* MOTTE, *le* DRAN & GARENGEOT plane de hac herniae ſpecie ſilent. Ex Veterum ergo ſententia (inter quos inprimis PARAEVS, DOLAEVS, MVRALTVS aliique, imo ipſe DIONIS, hanc herniam deſcripſerunt,) pnevmatocele datur; ex recentiorum vero autoritate vel plane non invenitur, vel ſaltem admodum eſt ambigua. Ulterius ergo in materiam hanc inquirendi certe operae eſſet pretium, dum experientia recens antiquam ſententiam ſtabilire videtur; cum vero hic non ſit locus, id alii forſan occaſioni, ſi vitam viresque Deus conceſſerit, reſervamus *k)*.

e) Qui ſpecialem Hydroceles pertractationem deſiderat, adeat BÜTZERI Diſſert. inaugur. ſub Praeſid. HEISTERI, Helmſt. 1744. ventilatam.

f) Inſtitut. Chirurg. P. II. Sect. V. Cap. 114. §. 2. p. 784.

g) Inſtitut. Chirurg. rat. p. 506.

h) Conſpect. Chirurg. Tab. XXIX. p. 188. ſeq.

i) loc. cit. pag. 796. In Gallia interim non adeo rara Pnevmatocele eſſe videtur, dum arte iſtam efficere ſciunt: Dantur enim pauperculi, religionis ſat obliti, qui, ut proximi miſericordiam moveant, ſibimet ipſis ſcrotum vulnerant, & culmi ſtraminei ope intervalla membranarum eius communium tanta quantitate aëris implent, ut ad extraordinariam ſaepe magnitudinem expandatur. Vid. DIONIS *Cours d' Operations*, p. 255.

k) In umbilico quidem adhuc tumores nonnunquam adparent, etiam *herniae ſpuriae* dicti, ut *Hydromphalos*, ſi ſerum umbilicum extendit; *Sarcomphalos*, ſi carnes ipſi increſcunt; *Pnevmatomphalos*, ubi flatulentus, & *Varicomphalos*, ubi varicoſus tumor adeſt: Sed modo illarum meminiſſe iuvabit, cum de reliquo quoad curationem, & alia, cum Hydrocele, Sarcocele, &c. plenarie conveniant, & non niſi loco differant.

§. VII.

De Entero-epiplocele, eiusque definitio.

Hactenus (§. II-VI.) generalem quandam herniarum dare ideam anniſi fuimus; ſpecialem vero earum hisce in pagellis tradere hiſtoriam, & nimis prolixum, & forſan plane etiam a re foret alienum. Cum vero Entero-epiplocelen ſeorſim tantum conſiderare in animum induxerimus, ad eius ſpecialiorem nunc nos convertimus tractationem, initium huius faciendo ab eiusdem definitione. *Entero-epiplocele* ergo *eſt hernia inguinalis completa* (§. V.), *ſub qua inteſtina atque omentum ſimul in ſcrotum deſcenderunt, hocque pro partium prolapſarum quantitate & copia plus minusve extendunt*, id quod tamen variae cauſae (§. IX.) efficere valent. Dicitur iſta

etiam

etiam hernia ſcrotalis, vel graeca voce ὀσχεοκήλη quod idem ſignificat, a voce ὄσχεον, *ſcrotum*, & κήλη, *tumor*.

§. VIII.

Uti ſemper in ſanatione morborum magni eſt momenti, vera eorum diagnoſi eſſe inſtructum, ſic & hoc inprimis in tractatione herniarum neceſſarium eſſe, iam (§. I.) indicavimus. Maxime hinc e re eſſe videtur, iam quoque diſpicere, quibus ſignis & Entero-epiplocele certe cognoſci, atque a nonnullis aliis herniis tuto diſtingui poſſit, utpote quo lumine deſtituti, in ſanatione eius non niſi in tenebris erroribusque verſabimur. Optimam vero, quam hic nobis de hac hernia acquirere poſſumus, notitiam ſemiologicam, ex mixtis collatisque inter ſe indiciis, tam entero- quam epiploceles, haurire oportet, ſiquidem Auctores vix unicum ſpeciale ſignum de ea adducunt. Entero-epiplocele igitur primum ſeſe diſtinguit *mole* atque *magnitudine tumoris*, quo ſimpliciores hernias ſuperat, hocque partim quia diverſae partes prolapſae ſunt, dum, inteſtino deſcenſo, omentum facile, ob lubricitatem, ipſi ſe aſſociat *l)*; partim vero quia in ſcroto liberius ſeſe extendere queunt. Porro quoniam in Entero-epiplocele ſcroti ſuperficiem mox inteſtinum, mox omentum expandit, variam inde quoque nanciſcitur qualitatem. Hinc in nonnullis, vel potius plurimis in locis, hic *tumor* reperitur *tenſus*, *durus* atque *inaequalis*, nitet aliquando, digitoque preſſo elaſticitatem monſtrat, cum doloris cuiusdam ſenſu coniunctam; alibi vero contra magis deprehenditur inaequalis, indolens ac mollior, & preſſione facta non niſi lente

Signa generalia.

ſe reſtituit. Deinde egregium quoque, & quidem pathognomonicum quaſi ſignum, in Entero-epiplocele praebet *preſſio tumoris*, dum aeger ſupinus decumbit. Nam in enterocele, quando tumor urgetur, inteſtinum cum murmure & borborygmis retrocedit; in epiplocele vero, facta repoſitione, nihil tale obſervatur, ſed omentum ſine ſtrepitu in ſtatum redit naturalem. Mixtis igitur his herniis, ſeu ſi vera Entero-epiplocele adeſt, preſſo tumore, inteſtinum quidem cum ſonitu recedere obſervamus, aſt tumor non prorſus evaneſcit, ſed minuitur tantum, unde ergo omenti preſentiam cognoſcere poſſumus. Interim tamen dolendum, ſignum hocce in paulo maiori vel qualitercunque iam inveterata Entero-epiplocele nullum invenire locum: Cum enim in iſta vix partes reponi poſſint, haeque ſaepius concretae ſint, utique hinc nec de omenti preſentia hac ratione certiores nos reddere poſſumus. Quare in tali caſu, iuxta alterum hic traditum ſignum, *tumoris qualitatem* bene examinare, ſimulque ea inprimis in auxilium vocare iuvabit, quae §. ſequent. de ſignis ſpecialibus adhuc monebimus. *Symptomata* denique hac in hernia, praecipue ſi mole quadam notabilis fuerit, animadvertuntur & *plura* & *acerbiora*, dum, ſi maior aliqua quantitas inteſtini & omenti prolapſa eſt, haec fere omnia viſcera, ob arctum vinculum, moleſte trahunt irritantque, ut officiis ſuis non rite perfungi queant, unde dein tota oeconomia animalis perturbatur. Oriuntur hinc dolores colici, vomitiones ſaepe inanes, cardialgiae, deſidendi conatus, alvi obſtructiones & plura alia, quibus nonnunquam inflammatio, paſſio iliaca, gangraena ſphaceluſque

acce-

accedunt; ut ſub his moleſtiis aegrotus ſaepe fatis cedat.

l) Equidem iam VESALIVS, *Anat. Lib. V. Cap. 4.* quem & recentiores quidam ſequuti ſunt, negare prorſus voluit, omentum usque in ſcrotum deſcendere poſſe, iſtud ultra umbilicum ſeſe non extendere exiſtimans. Aſt, licet hoc de nonnullis, & quidem macilentioribus ſubiectis, verum ſit, in quibus interdum vix regionis epigaſtricae limites transcendit, atque hac ratione vix herniam formare poteſt, niſi in magno inteſtinorum, & inprimis coli, cui ex maxima parte adhaeret, deſcenſu: attamen, inſpectione cadaverum monſtrante & confirmante, in obeſioribus usque in regionem hypogaſtricam, inprimis in ſiniſtro latere, ſe ſe extendit, atque hinc facile per annulos abdominales prolabi, herniamque efficere poteſt, id quod etiam tot indubiae experientiae abundantiſſime demonſtrant.

§. IX.

Ex hisce ergo (§. VIII.) recenſitis indiciis ſat luculenter quidem Entero-epiplocelen cognoſcere poterimus; aſt quoad Praxin iſta tamen non ſemper ſufficiunt remque clare demonſtrant. Occurrunt enim adhuc aliae in ſcroto herniae, uti Hydrocele & Sarcocele, quae cum Entero-epiplocele haud exiguam monſtrant convenientiam; hinc, quibus ſpecialioribus ſignis alia ab alia diſcernenda, & quaelibet earum per ſe dignoſcenda ſit, iam hic ſubiicere neceſſarium eſſe duxi. In Hydrocele igitur tumor ſpecifice levior eſt, & multo minoris ponderis, quam ubi ab inteſtino & omento intra ſcrotum prolapſis formatur; eſt proinde etiam aequalior, quia aqua naturali lege aequaliter in vaſa diffunditur, prolapſa intortaque inteſtina vero & omentum inaequalitates gi- *Signa ſpecialia.*

 gnunt,

gnunt, uti & denique Entero-epiplocele multo mollior reperitur, ad inſtar veſicae liquido quodam repletae, unde quoque ſi veſpertino tempore candelam ipſi admovemus, plerumque diaphanus adparet tumor, niſi contenta aqua longiore mora iam craſſior turbulentaque fuerit reddita. Hydrocele porro nunquam ſponte in abdomen recedit, uti id ſaepius in enterocele non adeo inſigni, praeſertim ſub decubitu in lecto, obſervamus, neque inſpirato aëre niſuque fortiori incrementum qualecunque capit, ſed ſemper & conſtanter ab ortu ſuo in ſcroto remanet, nullamque plane mutationem, praeter ſucceſſivum augmentum, admittit, quemadmodum etiam inſuper ſymptomata, quae Entero-epiplocelen alias comitantur (§. VIII.), cauſa nimirum deficiente, in hydrocele plane non adſunt. Adferre hic quidem poſſem, Hydrocelen adhuc ſenſim naſci, nullam Bubonocelen in ea praecedere, neque tumorem oblongum, a ſcroto per inguen ad annulum lateris laeſi ſeſe extendentem, & ab inteſtino incluſo provenientem, deprehendi; verum Entero-epiplocele itidem utplurimum ſenſim gignitur, & ſi externa vis ſatis fortis eſt, nulla quoque Bubonocele praecedit, uti & in maiori Entero-epiplocele nec memoratus tumor oblongus reperitur. Quapropter, his omiſſis, denique de pathognomonico quodam, Entero-epiplocelen ab hydrocele dignoſcendi, ſigno, a teſticulo ſumto, quaedam hic monere ſatius erit. Tradunt enim Auctores, & experientia nonnunquam confirmat, teſticulum in hydrocele non ſentiri poſſe; & hoc ipſo indicio diſtincte eandem ab Entero-epiplocele diſtingui, omnemque confuſionem inter has ſpecies evitari poſſe, autumant. Monendum

nendum tamen eſt, indicium hocce admodum fallax, minimeque ipſi fidendum eſſe. Praeterquam enim, quod in Entero-epiplocele iam inveterata teſticulus ſaepe corrumpatur, hincque, exploratione inſtituta, nec inveniri poſſit, celebres in arte medica & chirurgica Auctores *m)* non ſolum obſervarunt & adnotarunt, Hydrocelen interdum in proceſſu peritonaei ſupra teſticulum oriri, tuncque teſticulum manifeſto diſtingui poſſe, uti & tumorem quendam oblongum, ab annulo ad ſcrotum ſe extendentem, Entero-epiploceles alias indicium quandoque conſtituere; ſed experientia ipſos etiam docuit, dari hernias ſcrotales, ubi nullus teſticulus reperiri poteſt, quia inteſtina in tunicam vaginalem teſticuli tunc ſunt prolapſa. Quapropter ſat clare patet, perquam caute omnino cum hoc ſigno agendum, ipſique minime admodum fidendum eſſe. Et haec de Hydrocele! Progredior ad Sarcocelen, quae vero longe facilius diſtinguitur. Adeſt enim in hac tumor multo durior, ut interdum vix lapidi duritie cedat, ac ſi ortum ſpectemus, utplurimum ab inflammatione teſticuli relinquitur, unde haec ſi praeceſſit, & hernia oritur, Sarcocelen adeſſe facile concludere poſſumus. Sub initio dolorum prorſus expers eſt; in molem vero quandam adaucta ſatis exquiſitos infert dolores, qui vero raro extra ſcrotum ſe extendunt, quemadmodum etiam ſymptomatibus iſtis, quae Entero-epiplocelen ordinarie comitantur (§. VIII.), nunquam ſtipata eſt. Interim evenire poteſt, ut in Entero-epiplocele magna, admodum inveterata, nec repoſita, teſticulus a preſſione inflammetur, & Sarcocele exinde oriatur; hoc vero in caſu, ſi nullae contraindicationes,

v. gr.

v. gr. concretio, &c. adeſſent, in operatione unicum conſiſteret auxilium.

m) WIDEMANN, in Tractatu germanico, *de Lithotomia & Herniotomia, p. 84.* BOERHAAVE, in *Aphor. pract.* §. *1227.* *le* DRAN *Tom. II. Obſ. 75.* GARENGEOT, *Oper. Tom. I. p. 442. ſeq.*

§. X.

Cauſa proxima.

Abdomen, quod ordinarie ſubiectum herniarum, iuxta Scholaſticorum loquendi morem, conſtituit, ſapientiſſimus machinae noſtrae Conditor, in anteriori & laterali ſua parte, aponevrotico muſculari quidem tegmine involvit, ut nos ad maiores liberioresque varios motus redderet aptos; aſt, ſi mollem hanc ſtructuram attento animo perpendimus, peritonaeum una cum muſculis ita ordinata eſſe deprehendimus, ut ab intus urgentibus variis magnis viſceribus ubique & in omnibus punctis aequaliter reſiſtant. Hernia igitur, rebus ita comparatis, naturaliter eſſet impoſſibilis, & revera etiam alia conditione fieri non poteſt, niſi ex his integumentis praecipue peritonaeum, ut primarium & robuſtiſſimum, vel laxetur, vel rumpatur, ut ſic contenta abdominalia prolabi queant. Itaque primaria & principalis uti herniarum omnium, ſic & ſcrotalis cauſa, eſt peritonaeum vel laxatum, vel ruptum; quod vero ultimum omnibus non ſemper aeque placuit. Veteres *rupturae* nimium tribuebant, eamque frequentius in herniis adeſſe crediderunt *n)*; recentiorum vero nonnulli e contrario in alterum extremum delapſi, rupturam plane negant; uti NVCKIVS, qui peritonaeum, ob magnum eius robur, rumpi non poſſe exiſtimavit *o)*, & praeter alios, celeberrimus

mus RVYSCHIVS, qui eandem pariter fovet ſententiam *p)*. Aſt his experientia rerumque teſtimonia aperte contradicunt; ruptum enim peritonaeum iam in muliere quadam deprehendit celebris Amſtelodamenſium Profeſſor BLASIVS *q)*, id quod etiam *Io. Rud.* SALTZMANNVS in detruncato quodam ſe vidiſſe teſtatur *r)*. Si autem recentiores deſideramus obſervationes, GARENGEOTIO confirmante, PETITO rupturam videre contigit *s)*, uti & SALTZMANNVS hiſtoriam de rupto peritonaeo refert *t)*, quae ſingulae obſervationes maxima ex parte inter ſe conveniunt. Media igitur hic nobis eligenda erit via, quippe clare quidem ex obſervatis patet, rupturam peritonaei contingere poſſe, ſed ſimul notandum, ſat raro hoc fieri, & non niſi fortiore ingenteque vi concurrente, vel peritonaeo admodum relaxato aut putrido.

n) Ex hac forſan ratione Germani hoc malum nomine *der Bruch* inſigniverunt.
o) NVCKIVS Adenograph. curioſ. p. 131. it. Operat. chirurg. pag. 93.
p) Adverſ. anatom. Dec. II. p. 9.
q) In Obſervationibus med. p. 8.
r) In Obſervat. anatom. p. 42.
s) GARENGEOTI Oper. Tom. I. Cap. VII. Art. IV. Obſ. XVI. pag. 329.
t) In Diſſertatione de Hernia veſicae, p. 34.

§. XI.

Cauſae remotae.

Verum enim vero non ſufficit cauſam noſſe principalem, ſed & auxiliares iſtas, quibus peritonaeum ad relaxationis vel ruptionis ſtatum redigi poteſt, notas perſpectas-

ſpectasque habere debemus. Hae vero *remotae*, uti dicuntur, *cauſae*, partim *ab intra*, partim *ab extra* in peritonaeum agunt. *Interne* peritonaeum relaxare poſſunt, frequens & copioſus uſus eſculentorum & potuum pinguium, oleoſorum, & nimis calidorum, unde Helveti & Monachi herniis prae aliis ſubiecti eſſe dicuntur. Porro collectio ſeroſarum impuritatum in abdomine, maxime autem in hydropicis, ex qua etiam ratione regionum paludoſarum & humidarum incolae utplurimum herniis adficiuntur, quia a glandulis inteſtinorum, inguinum & peritonaei, nimia copia ſeri ſecernitur, unde omnes abdominis partes valde relaxantur. Deinde ipſi conſtitutioni corporis multum quoque adſcribendum, maxime ſi illa laxior, ſpongioſa atque mollis fuerit, quare phlegmatici, obeſi & pueri prae aliis frequentius herniis laborant; vel ſi conformatio quaedam connata adeſt, iuxta quam hernioſi hernioſos gignunt, uti *Bernhard.* VALENTINI *u)* de integra quadam familia prope Gieſſam, ſibi ſatis nota, refert, quod in ea omnes fere maſculi herniis adfecti fuerint. Quibus denique, quod rarum quidem eſt, aſt nonnunquam tamen obſervatum fuit, hic addi poteſt, ex terrore repentino aliquando herniam exortam fuiſſe, uti RVYSCHIVS hoc obſervavit & adnotavit *w)*. Quoad *externas cauſas*, peritonaeum laedere herniasque inducere valent omnes percuſſiones abdominis, calcitratio, ictus, caſus ab alto, ſaltus praeceps, vehemens equitatio, & quaelibet exercitatio fortis, vel alia quaedam abdomini, &, ſpeciatim in Entero-epiplocele, annulis illata vis, quae hos ultra modum extendit. Efficere vero hoc etiam ulterius poſſunt, reſpiratio vel nimis

nimis diu ſufflaminata, vel fortiter aucta, quo pertinent, clamores fortiores, eiulatus continui infantum, tubarum inflationes, fortior riſus, vehemens tuſſis, vomitus enormis, elevatio & geſtatio ponderum, niſus vehemens, vel in conatu parturiendi, vel ſcybala deponendi, luctationes, & ſi quae ſint aliae actiones ſimiles, in quibus diaphragma & muſculi abdominales nimis fortiter in contenta abdominalia agunt, unde facile, praecipue ſub ſatietate & repletione corporis, peritonaeum cedit, ac inteſtinis omentoque ad deſcenſum anſam praebet.

u) in Polychreſt. exot. p. 8.
w) Obſervat. anatom. chirurg. p. 98.

§. XII.

Viarum prolapſus in Entero-epiplocele deſcriptio anatomica.

Interim, poſitis etiam his cauſis, poſitaque peritonaei relaxatione, herniae tamen omnino rariores adhuc forent, niſi in abdomine loca quaedam adeſſent, quae, ob aliam rationem, a ſummo Creatore tam firmiter claudi non potuerunt. Talia inprimis ſunt, umbilicus, ubi in foetu vaſa umbilicalia transeunt; arcus ſic dictus cruralis, vaſis cruralibus egreſſum concedens, & denique annuli abdominales, vaſa ſpermatica transmittentes. Horum ergo verae ſtructurae cognitio quod ſummae utilitatis neceſſitatisque ſit, vix demonſtratione aut argumentis indiget; unde etiam iam iſtae aperturae, per quas inteſtina & omentum in Entero-epiplocele verſus ſcrotum deſcendunt, quaeque annuli abdominales ſunt, ſpecialius conſiderari atque examinari debent. Vaſa itaque ſpermatica poſtquam partim ex aorta, partim ex vena cava & emulgente in utroque latere prodierunt, oblique

in parte poſteriori abdominis, in textura cellulari peritonaei, deſcendunt. Hinc decuſſatim ſupra ureteres progrediendo, curſum ſuum antrorſum dirigunt, & ſub ultimis fibris muſculi transverſi, ſub muſculo cremaſtere, obliquo interno adhaerente, ad foramen muſculi obliqui externi percurrunt. Ex hoc denique egreſſa, in proceſſu peritonaei ſupra pectinem in ſcrotum deſcendunt. Hoc ergo *foramen muſculi obliqui externi*, vaſorum ſpermaticorum egreſſui a natura deſtinatum, proprie locus ille eſt, vbi laxatum peritonaeum viam deſcendendi invenit. Praedictus enim hic muſculus obliquus externus, qui lateralia abdominis moenia maxime conſtituere iuvat, ſeparataque cute primum adparet, in parte ſua inferiori oſſi ilio & pectini lata aponevroſi adhaeret; mox vero ſupra pectinem fibrae huius aponevroſeos dehiſcunt, & *foramen* conſtituunt, in ſchola anatomica *annulus abdominalis* dictum, licet proprie id non rotundam habeat figuram. Repraeſentat enim arcum, duobus quaſi cruribus, quae Gallis *Piliers* dicuntur, inſtructum, ſitumque habet in utroque latere obliquum, ita tamen, ut in arcuata ſua parte multo amplior ſit *x)*, quam ubi crura exiſtunt, quae, tanquam parvae appendices aponevroſeos muſculi, mediae ac anteriori cartilagini pectinis, poſtquam decuſſatim prius ſuper crura proceſſerunt, alternatim in latus dextrum & ſiniſtrum inſeruntur. Hoc ita ſtructum foramen, ſive arcus, adhuc fibras nonnullas tendineas, transverſaliter a faſcia lata provenientes, accipit, quae non ſolum maius robur ipſi conciliant, ſed etiam marginem eius internum ita intertexunt, ut non tam facile dilatari nec conſtringi,

hinc-

hincque nec partibus, quibus transitum praebet, vim inferre queat. Hae vero partes in viris ſunt *vaſa ſpermatica y)*, quae partim ex aorta, partim ex vena cava & emulgente exorta, oblique in parte poſteriori abdominis, in textura peritonaei cellulari, deſcendunt, dumque curſum ſuum antrorſum dirigunt, ſub ultimis fibris muſculi transverſi, ſub muſculo obliquo interno & huic adhaerente cremaſtere, usque ad deſcriptum foramen obliqui externi percurrunt. Et cum ſeminis ſecretioni, quod negotium natura extra abdomen in ſcrotum repoſuit, deſtinata ſint, hinc extra illud egrediuntur & in proceſſu peritonaei, tanquam in vagina, ſupra os pubis in ſcrotum deſcendunt.

x) Id in repoſitione Entero-epiploceles bene eſt notandum; ſic enim inteſtina ſemper verſus hunc locum, utpote ampliſſimum, digitis urgenda ſunt, quo ipſo operatio egregie facilitatur.

y) Studio hic modo dedimus, tam annuli, quam partium, quas transmittit, uti in viris comparatae ſunt, deſcriptionem, quoniam herniam ſcrotalem pertractamus, quae in foeminis nullum invenit locum. Equidem prolapſus quidam per hos annulos ad inguina, imo labia vulvae usque, nonnunquam in iis accidunt; ſed & hoc rarum eſt, quia ipſarum annuli, tenuibus modo ligamentis uteri rotundis naturaliter transitum concedentes, multo anguſtiores ſunt, magisque procliviorem ſitum, quam in viris, habent.

§. XIII.

Vario ordinarie ibidem haec vaſa diſtribuuntur modo, aſt cum id ad ſcopum noſtrum non pertineat, hinc potius de *proceſſu peritonaei*, tanquam receptaculo Entero-epi- *Proceſſus peritonaei deſcriptio.*

ro epiploceles, aliquid addere ſatis erit. Hic proceſſus eſt continuatio ſubſtantiae illius reticularis, quae etiam *tunica cellularis* vocatur, qua vaſa ſpermatica, ab ortu ſuo usque ad annulum abdominalem, involvuntur, quaque peritonaeum, in ſuperficie ſua externa, variis in locis, pro variarum partium, extra ſaccum peritonaei ſitarum, involutione, earumque commodiori ac tutiori ſitu, inſtructum eſt. Initium ergo iſte proprie ſumit a deſcripto foramine abdominis, ſive annulo abdominali, ubi exeuntia vaſa ſpermatica arcte circumcingit, eaque vaginae inſtar ab hoc annulo usque ad teſticuli marginem ſuperiorem, in qua epididymis ſita eſt, comitatur. Poſtquam vero huc pervenit, inſignem maximeque notabilem patitur mutationem. Mox enim ſupra teſticulum & epididymidem in duas quaſi lamellas ſeparatur, quarum externa teſticulum laxe ambit, & eius tunicam, *vaginalem* ſeu *erythroidem* dictam, conſtituit, interna vero ſeptum ſatis robuſtum format, quod hos duos ſacculos a ſe invicem ſeparat *z)*, ne contenta eorum moleſtiam ſibi creare queant, nec etiam ſi quid peregrini alteri horum accidat, illud ſtatim quoque alteri damno vel nocumento ſit. Haec ſane cognitio nobis in herniis ſcrotalibus, tam veris, quam ſpuriis, multum utique lucis adfundere poteſt, uti ex ſequentibus in Entero-epiplocele patebit.

z) WINSLOW in Anatomia ſua, Tom. III p. 627.

§. XIV.

Modus ſpecialior prolapſus.

Cognitis igitur perſpectisque iam viis, per quas omentum & inteſtinum in prolapſu ſuo transeunt, & ſpecialior

cialior nunc modus, quo hoc contingere poteſt, facile patebit. Ex quacunque enim cauſa (§. X. XI.) relaxatum, inteſtina omentumque includens, peritonaeum, deſcriptum arcum ſive annulum abdominalem, ipſique adhaerentem proceſſum peritonaei, vaſa ſpermatica cingentem, dilatat atque diſtendit. Hoc autem facto, dumque parum reſiſtentiae amplius alicubi invenit, in eodem proceſſu, iuxta vaſorum ſpermaticorum ductum, pergens, in ſcrotum, usque ad tunicae vaginalis teſticuli ſeptum, prolabitur, & proceſſum peritonaei ſupra teſticulum extendendo *a)*, tumorem hernioſum ibi format. Hic autem tumor, pro externarum virium quantitate, dum mox maior, mox minor inteſtinorum pars deſcendit, etiam vel maior vel minor evadit, & quanquam ab initio ſit exiguae modo magnitudinis, tamen ſi negligitur, nec faſciis debito modo detinetur, tunc ſucceſſive reliqua inteſtina pondere ſuo prolabuntur, ut interdum fere omnia in ſcroto reperiantur, hocque mirifico modo expandant *b)*. Verum enim vero, traditum hic modum non omnium adſenſum conſequuturum eſſe iam praevideo. Loquuntur enim adhuc multi multa de duobus aliis annulis, in muſculo transverſo & obliquo interno exiſtentibus, herniamque inguinalem vel ſcrotalem aliter accidere non poſſe praetendunt, niſi omnes tres annuli, manus fere latitudine a ſe invicem diſtantes, fiant paralleli. Aſt, ſi provida manu attentoque animo in cadaverum diſſectione hos muſculos conſideramus, nihil quidquam de annulis in illis ſumus reperturi. Nam in macilentioribus minusque carnoſis ſubiectis faſciculus ſpermaticus ad muſculi transverſi fibras vix accedit; & licet obli-

quus

quus internus ſpeciem quandam annuli habere, fibrae eius dehiscere, & vaſa ſpermatica transire videantur: attamen ſi accuratius ad rem attendimus, evidenter eluceſcet, inferiores fibras ſic dicti annuli non obliquo interno competere, ſed potius ad muſculum cremaſterem pertinere, qui parte ſua ſuperiori obliquo interno adhaeret, hincque etiam nullum annulum in hoc muſculo adeſſe *c)*. Unde facile etiam ulterius ex his colligere posſumus, haec loca ad prolapſum nihil conferre, ipſumque illum nec impedire, nec adiuvare poſſe, ſed peritonaeum in deſcenſu nil niſi foramen obliqui externi ſuperare debere, ubi etiam proceſſus peritonaei incipit, & ubi unice inteſtina prolabuntur iterumque reponuntur.

a) Illuſtr. b. m. STAHLIVS, teſte Excellentiſſ. IVNCKERO, in publica quadam Anatomia, in cadavere adoleſcentis, proceſſum hunc ad digiti longitudinem ruptum deprehendit.

b) Veteres perpauca modo inteſtina prolabi poſſe ſtatuebant. Nam GALENVS ſolum coecum, utpote a vinculis liberum, deſcendere aſſerit, licet tamen alio loco illius quoque prolapſum in ſiniſtro latere concedat. Haec ſententia etiam diu viguit, ſiquidem Medici poſt illum ad noſtra fere tempora, alter idem ſolum, alter ſolum coecum, nonnulli vero & ileon & coecum decidere poſſe ſtatuerunt; de reliquis autem inteſtinis hoc plane impoſſibile eſſe, quin imo in hernia ſcrotali nil niſi ſolum ileon delabi poſſe, autumant. Verum, diligentes obſervationes recentioribus alia experiri occaſionem ſuppeditarunt. Ileon enim quam frequentiſſime, ut maxime mobile, in tumore hernioſo reperitur, & poſt illud ieiunum & colon; rarius vero idem hoc de coeco & recto obſervamus, & de duodeni prolapſu vix proſtat exemplum.

c) Conferatur etiam GARENGEOT in ſua Splanchnologia.

§. XV.

§. XV.

Bonus malusque eventus in Entero-epiplocele a variis rebus cauſisque dependet. Ratione periculi communiter magis eſt moleſta, quam periculoſa: Quoniam enim inteſtina ab omento tecta ſunt, hoc pinguedinoſa ſua lubricitate annulos etiam lubricat, eorumque conſtrictionem impedit, ut idcirco nec incarceratio, nec inflammatio tam facile exoriri queat. Hinc verecundi aegri, bona inprimis continentia, Entero-epiplocelen ad longum temporis ſpatium, imo XX. & XXX. annos, ſine vitae periculo, ſaepius geſtare ſolent. Interim occurrit hic ſaepius inſignis exceptio a regula, iuxta quam Entero-epiplocele non ſolum periculoſa, ſed etiam exitialis evadere poteſt. Accidit enim interdum, ut annulus in repentino & impetuoſiori prolapſu non ſufficienter eoque in gradu dilatetur, ut tonum ſuum plenarie amittat, quare Entero-epiplocele vel in inſtanti, vel paulo poſt periculoſa fieri poteſt, dum ſub his circumſtantiis facile incarceratio atque inflammatio contingunt. Exitialis vero Entero-epiplocele aegro reddi poteſt, vel ex improvido refrigerio corporis & maxime ſcroti, vel ex copioſius adſumtis cibis dyspeptis, inflantibus, &c. qui extenſione inteſtinorum incarcerationem quaſi efficiunt, quam inflammatio & gangraena haud raro excipiunt, unde aeger ſaepe repentinam oppetit mortem. Idcirco ſemper praeſtat, non ſolum ob periculum, ſed etiam ob magnam moleſtiam diraque ſymptomata, Entero-epiplocelen mox in initio reducere, eamque bono vinculo detinere, qua ratione aeger dein vitam multo ſecuriorem vivere poteſt.

Prognoſis generalis.

§. XVI.

Prognoſis reſpectu curationis.

Curationis autem praeſagium quod attinet, de eo notamus, quod, ſi Entero-epiplocele in pueris iuvenibusque accidat, non nimis diu duraverit, nec ingens ſit, fundamentalem admittat curam, ſiquidem in his ſubiectis, ob partium laxitatem, incarceratio non tam facile eſt metuenda, &, facta bona repoſitione & detentione herniae, annulus laxatus creſcente corpore debitum robur ac firmitatem rurſus acquirit, ut poſtea inteſtina non amplius delabi queant. Verum enim vero in adultis hunc ſcopum admodum raro impetramus; & quanquam etiam nec exempla deſint curatarum talium herniarum, & quidem in viris annoſis decrepitisque, rariora tamen, imo rariſſima illa ſunt *d)*. Si enim repoſitio adhuc locum invenit, iſtaque etiam feliciter inſtituitur, peritonaeo annulisque tamen naturalem tonum reddere non poſſumus, ſed quicquid praeſtare poſſumus, in eo conſiſtit, ut loca iſta commodis ammatibus muniamus, ne ſub motione corporis novus prolapſus eveniat. Curatio igitur ſaltem erit palliativa, idque non niſi ea efficimus, ut, detentis ſic inteſtinis, aeger ab incarcerationis & inflammationis metu liber vivere queat. Si vero in altero caſu, ob ſymptomata vehementiora, vel alia ex cauſa, ad ſcalpellum confugiendum ſit, parum ſalutis nos quoque exinde obtinere experientia proh dolor! teſtatur. Cum enim operatio admodum ardua, locus ſenſibilis, vulnusque magnum hic concurrant, & ex repoſitione inteſtinorum in tota oeconomia animali inſignis mutatio accidat, vix fieri poteſt, quin febris inflammatoria ſuperveniat, & aeger ſub hac fatis cedat.

d) Re-

d) Referri huc inprimis meretur caſus ille perquam notabilis, quem nuperrime, anno hoc currente, peculiari Diſſertatione expoſitum, cum erudito orbe communicavit Excell. MAUCHARTUS, ſub titulo: *Epiplo-Enterocele cruralis incarcerata, cum deperditione notabili inteſtini, curata;* ubi in viro ſatis iam annoſo portio inteſtini, ulnae fere longitudinem referens, abſciſſa, hoc tamen non obſtante curatio ipſa feliciter abſoluta fuit.

§. XVII.

Errores, qui in curatione herniarum committuntur.

Quemadmodum ars ſalutaris proh dolor! hoc habet triſte fatum, ut eidem varii plerumque homines, tam otioſi ac imprudentes, qui cerebrum anilibus nugis ac ſuperſtitioſis traditionibus refertum habent, quam malitioſi ac impoſtores, audacter ſe immiſceant, cum maximo fere ſemper aegrotantium damno: ita tales quoque herniarum inprimis curationem ſuſcipere minime dubitant, illisque tum variis abſurdis arcanis, tum alia etiam ſuſpecta ac periculoſa methodo, temerario auſu, mederi tentant. Sic enim non ſolum (quod condonandum adhuc foret illorum ſimplicitati,) mediante *ſympathia* vel *transplantatione e)*, itemque *medicamentis* variis, tam *internis*, quam *externis f)*, illas tollere ſe poſſe iactitant, ſed & eo usque audaciae quidam talium medicaſtrorum procedunt, qui *Herniotomorum* nomine communiter ſuperbiunt, ut ſtatim & indiſtincte in omnibus eiusmodi aegrotis ad ferrum properent, illosque chirurgica operatione, quam tamen debite vix unquam callent, ab hoc malo ſe liberaturos eſſe, ſumma cum audacia promittant, utplurimum vero, ſperati auxilii loco, eos vel mortis faucibus tradant, vel ad ſummum, poſt immanes perpeſſos cruciatus factamque teſticuli iacturam, tantum illis auxilii ferant,

rant, quantum multo mitiori ac leviori modo, ex Medicorum ac Chirurgorum prudentum conſilio, impetrare potuiſſent, prout egregie id pluribus iam docuit Illuſtr. HEISTERVS, in Diſſertat. *de abuſu Herniotomiae*, Helmſt. 1728. ventilata. Optandum hinc merito foret, ut publica auctoritate tandem aliquando nefanda iſta coërceretur audacia, debitisque poenis adficerentur circumforanei tales, adeo turpiter plerumque, ex mera ignorantia & pecuniarum aviditate, in vitam ac ſanitatem miſerorum talium hernioſorum graſſantes, illisque infauſto communiter fato penitus eos privantes.

e) Vario plerumque modo ex inepta & nimia credulitate transplantatoriam hanc, in omnibus herniarum ſpeciebus, exercere ſolent curationem, dum modo *ovo, die viridium excluſo* & adhuc calide ab aegro ſorpto, illam ſuſcipiunt, ubi dein teſta ſic evacuata hernioſi urina iterum repletur inque camino ſuſpenditur, ac eodem modo herniam detumere promittitur, quo urina exſiccabitur in camino, quod ex propria multoties repetita experientia maxime commendat BONETVS in *Mercur. compitalit. Lib. III. Sect. XXX. Cap. XV. pag. 845.* modo *cochleam vivam rubri coloris* ſupra affectum locum alligant, donec moriatur, poſtmodumque in camino eandem exſiccant; modo etiam per *diffiſſam arborem iuniorem*, v. g. *tiliae, ceraſorum*, *quercus*, &c. hernioſum more Dianae nudae ter ſaltu celeri ſe proripere iubent, poſtmodumque ſicut ſaucia arbor, cera & terebinthina oblita, coaleſcit, ſic convaleſcere adſerunt aegrum, prout pluribus id refert MANGETVS in *Biblioth. med. pract. Tom. II. p. 841.* Merito autem cum *Bernh.* VALENTINI, *Polychreſt. exot. p. 88.* iudicamus, curationem herniarum, ſi qua etiam ſuperſtitioſam hanc inſecuta fuerit methodum, magis ammatibus ſimul adplicatis & geſtatis, quam imaginariae tali ſympatheticae operationi, adſcribendam eſſe.

f) Mini-

f) Minime quidem negamus, interna etiam remedia, inprimis travmatica, in initiis & ſub diſpoſitione qualicunque naturali ad hernias provocandas, non prorſus reiicienda & damnanda eſſe; ſed illorum ſaltem impoſtorum exſibilandas eſſe promiſſiones iudicamus, qui praeſentes iam iam & ſaepe ſatis grandes hernias vel *ſolis internis*, & inter haec maxime decantato illo *Prioris de Cabrieres remedio*, olim *le ſecret du Roy*, ſeu *arcanum Regis Ludovici XIV.* dicto, *ſpiritu* nempe *ſalis*, certa doſi cum vino rubro mixto & quotidie exhibito; vel *ſolis externis*, ſpeciatim vero *emplaſtris* ſic dictis *magneticis*, tollere nituntur & re vera ſe ſuſtuliſſe gloriantur, de quibus modis fuſius iam egit praefatus VALENTINI, *loc. cit. pag. 85. & 91. ſqq.*

§. XVIII.

Curatio Entero epiploceles per repoſitionem.

Meliori autem, itemque ſecuriori & feliciori ratione huius herniae curatio a prudentiori Chirurgo ſuſcipitur, ſeligendo & adhibendo in initio (ſi nihil contra-indicet) mitiſſimam methodum, eoque unice adlaborando, *ut in ſcrotum prolapſa inteſtina ac omentum provide intra abdomen reducantur, & poſtmodum ibidem convenientibus adminiculis detineantur.* Ad hunc ergo ſcopum obtinendum ante omnia illa provida manualis inſervit operatio, quam ἐμβολὴν Veteres, ſeu *repoſitionem* vocarunt, quaeque ſequente potiſſimum peragitur ratione. Corpore ſupinato, capite & thorace depreſſis, femoribusque tandem verſus abdomen, ut muſculus obliquus externus laxetur, a miniſtro quodam reflexis, in tabula aliqua ad hanc operationem adaptata, verſus lumen aeger decumbit. Dein cutis ſupra tumorem ſollicite eſt detergenda, ne humectata, vel lubrica forte, repoſitioni moram inferat; tumor ipſe vero manu calida leniter urgendus, ut

contenta forſitan in inteſtinis excrementa vel flatus diſſipentur & in abdomen repellantur. His peractis impetratisque, ſcroto a miniſtro quodam paululum elevato, Chirurgus ope duorum digitorum primum inteſtina verſus lineam albam, ut annuli maximam aperturam, ſucceſſive cogat ac in foramen hocce reducat, impoſito interim alterius manus digito, ne, quae ſic condita ſunt, revertantur, hocque modo tamdiu continuet, donec omnia, quae prolapſa erant, inteſtina in abdomen ſint reducta, incipiendo tamen ſemper cum repoſitione a ſupremo tumore, quo, quae poſteriora prolapſa ſunt inteſtina, priora iterum in abdomine condantur & ſic naturalis ſitus ſimul reſtituatur. Ultimo tandem omentum & ſaccus hernioſus ſucceſſive reponantur, quod eodem iam deſcripto modo peragendum eſt, ita tamen, ut omentum praecedat & ſaccus ſubſequatur, de quo inprimis ut nihil remaneat, ſedulo proſpiciendum eſt, quoniam graviora alias facile inde oriri poſſunt ſymptomata. Omnibus his abſolutis feliciterque obtentis, curandum eſt, ut repoſitae partes intra abdomen detineantur, ne totus labor irritus reddatur. Primis igitur diebus faſcia illa, quae *ſpica inguinalis* dicitur, ſufficit, qua rite adplicata aeger in lectum mittatur, ubi etiam per aliquot dies permanere debet, abſtinendo ab alimentis dyspeptis, crudioribus & flatulentis, ac potulentis fermentescentibus, quae ad novum deſcenſum anſam praebere valent, ſimulque omnem refrigerationem ſedulo evitando; elapſis autem dein aliquot diebus faſcia haec ſolvatur & removeatur, (quoniam ad partes ſub motione corporis retinendas minus ſufficit,) quo aeger etiam ad conſueta ſua redire queat officia, aliudque commodum tunc amma eidem ſubſtituatur.

§. XIX.

§. XIX.

Dantur vero horum ammatum innumerae fere ſpecies, ex variis materiis confectae & diverſo admodum modo fabricatae, atque a rerum chirurgicarum ſcriptoribus, ſpeciatim vero HILDANO, PAREO & SCVLTETO, fuſius deſcriptae, ex quibus tamen commodiora atque uſitatiora Illuſtr. HEISTERVS *in Chirurgia ſua* ſelegit & *Tab. XXV. Fig. 5--15.* delineata exhibuit. Si enim quidpiam eſt, quod in curandis herniis apprime conducit, ſane aptum & conveniens tale eſt ſubligaculum, quo herniae, infantum maxime & recentiores, optime & perfectiſſime curari posſunt, praecipue ſi aliquot ſeptimanarum quies & ſupinus decubitus acceſſerit. Parantur autem talia ſive ex corio, ſive panno, inprimis goſſypino, ſive ferro, cum ſcuto, ſeu ſplenio, locum herniae comprimente, additis ſubligaculis, in hac herniarum ſpecie, cruralibus. Minime tamen indiſcretim quodlibet eiusmodi ſubligaculum, etiam ſpecialiſſime huic, de qua iam agimus, herniae adcommodatum, omnibus convenit ſubiectis, ſed, ſi optatum adſequi certo & ſecure velimus effectum, tunc tale ſeorſim eſt conſtruendum, quod eius aetati & magnitudini probe adcommodatum & proportionatum eſt, nullam ipſi hernioſo moleſtiam aut incommoda quaedam adfert, & tamen prolapſum inteſtinum cum omenti portione, diductumque peritonaeum ſufficienter coërcet, ac tandem ſcuto ſeu ſplenio ſuo annulum aequaliter & ſine intermiſſione comprimit, idque tam corpore erecto, quam quocunque modo flexo & incurvato. Ita enim comparatum amma officio ſuo exacte ſatisfacit, & non ſolum novi prolapſus metum prorſus avertit, ſed &, ſi per aliquot menſes continuo

Qualia ammata, vel ſubligacula ſint ſeligenda?

tinuo

tinuo geſtatur, retentione indeſinente partium prolapſarum efficit, ut etiam annulus, maxime in paullo iunioribus, priſtinum ſuum robur facilius iterum acquirat, novoque deſcenſui ſponte etiam reſiſtat. Ad hunc autem ſcopum adſequendum artifex, qui eiusmodi ammatibus conficiendis operam dat, multum omnino operae impendere, utque omnia idcirco rite diſponat & ordinet, ſedulo curare debet. Quae ex corio vel panno goſſypino conficiuntur, vix ſatis continent prolapſas illas partes, inprimis in adultis, corpus labore exercentibus, cum quovis fere corporis nixu diducantur. Hinc tutius, praecipue in Entero-epiplocele, ubi magna vi reſiſtere debent, ex ferro fabricantur, & corio molliore apte obducuntur. Scutum, quod ipſis eſt adfigendum, filo chalybeo, elateris inſtar convoluto, inſtructum eſſe debet, quod herniam illam, adducto etiam femore, in inguen deprimit, ut ſic foramen a compreſſione liberum maneat. De ſitu vero huius ſcuti, ſeu pilae, Illuſtr. b. m. PLATNERVS *g)* monet, ſupremam eius partem inferiori oſſis ilei ſpinae aliquantum inniti poſſe, reliquum vero ſolum annuli compresſioni deſtinatum eſſe debere, cum os pectinis minime eadem indigeat. Ceterum quae ad ammata talia adhuc ſpectant, partim in vulgus iam ſunt nota, partim ex foro artificis depromenda, adeoque facile hic praetermitti poſſunt. Elegantiſſimum interim illud eſt amma, quod civis quidam Francofurtenſis olim paravit & IÜNGKENIVS in *Chirurgia* ſua *p. 188.* deſcripſit, quod loco ſplenii, ſeu pulvinaris, filum chalybeum, ſive ferreum, elateris inſtar contortum, continet, quo filum, ſe extricaturum & explicaturum, eo fortius comprimat rupturae locum.

Eandem

Eandem quoque commendationem meretur illud utrique ſexui commodum amma, intuitu exterioris formae ac pretii quidem vile, utilitatis autem ratione non ſatis laudandum, quod BÜTTNERUS in Diſſert. de *Entero- & epiplocele utriusque ſexus, eorumque non ita pridem invento ammate commodiſſimo*, ſub Praeſidio Dn. D. IACOBI, Erfordiae An. 1712. ventilata, exactius deſcriptum dedit.

g) in Inſtitut. Chirurgiae rational. §. 833. pag. 527.

§. XX.

Cautelae circa repoſitionem obſervandae.

Sunt vero proinde etiam *cautelae* quaedam ſub repoſitione Entero-epiploceles probe adnotandae & obſervandae, ne ex ipſa hacce operatione in maius & gravius quoddam periculum aeger praecipitetur. Chirurgus igitur, repoſitionem inſtituens, probe prius conſideret, num forſan inflammatio quaedam praeſens iam iam ſit. Saepe enim evenit, ut inteſtinum vel omentum ex variis cauſis, inprimis refrigeratione, cibis inflantibus & auſteris, ſtaſin concipiant inflammatoriam, dumque ſimul nimium diſtenduntur, repoſitio illorum tanto difficilior evadat, ſimulque metuendum omnino ſit, ne partes iſtae morbiferae, dum digitis ita agitantur & qualitercunque premuntur, mortiferam concipiant necroſin. Ante omnia ergo tunc, ſi inprimis febrilis motus, aut colici graviores iam praeſto fuerint dolores, venaeſectio ſatis larga in pede eſt inſtituenda, cui eximiam, prae omnibus aliis adminiculis, efficaciam tribuit GARENGEOT, ita quidem, ut ſub eius adminiſtratione tumorem hernioſum interdum ſponte ſe reſtituiſſe adſeveret. Dein ſcroto & univerſo tumori imponantur Cataplasmata, e mica panis, vitello ovorum, herbisque ac radicibus emollientibus, cum lacte decoctis, paranda, vel etiam illud, quod magni

E inpri-

inprimis aeſtimant Pariſienſes Chirurgi, omnibusque aliis praeferunt, & ſequentem in modum parare ſolent: Rec. Herb. Malv. Bismalv. Mercurial. Parietar. Violar. ana Mj. coque per horam in ſ. q. aquae, coletur per pannum lineum, & pulpa ſpatula exemta in Decocto diſſolvatur, addendo farinae ſiligineae q. ſ. Haec mixtura iterum perpetua agitatione lenique ignis calore per duas fere coquatur horas, & dein, addito melle & aceto vini, nova adhuc per horam inſtituatur coctio, donec maſſa nullum amplius farinae odorem ſpargat, tuncque admixto oleo Lilior. albor. ab igne removeatur & calide adplicetur.

§. XXI.

Ulteriores cautelae obſervandae.

Praeter haec univerſum abdomen calide, vel ſolo oleo roſaceo, vel admixtis etiam vitellis ovorum, inungatur & foveatur, ſuper imponendo ſimul lanam ſuccidam calefactam; alvo autem iniiciatur clyſter emolliens leniterque ſtimulans, aut etiam, ſi neceſſitas poſtulaverit, & ſperatus inde non ſtatim ſequatur effectus, tabacinus ſubſtituatur. Hisce externis per aliquod tempus ſedulo continuatis, & aegroto interim in blando calore conſervato, ſubinde interim ſcrotum & inguina detergantur, & repoſitio partium tentetur, quae etiam tunc feliciter ſaepe cedere ſolet; quodſi vero ea nondum adhuc locum inveniat, praedictis illis denuo continuandum eſt remediis. Ulterius etiam herniae huius reductionem impedire posſunt, partim excrementorum in inteſtinis reſtitantium induratio, partim tumoris magnitudo, ſeu prolapſarum partium copia, tuncque ſybala, impoſitis praedictis cataplasmatibus & iniectis emollientibus clyſteribus, aliquoties repetendis, debite educenda ſunt; in altero autem caſu repoſitio quadantenus differri & aegrotus prius magis ad

eandem

eandem praeparari debet, ita quidem, ut per plures dies indeſinenter ſe in lecto contineat, V. Snem inſtituat, laxantia aliquoties adſumat, diaeta tenuiori & parciori utatur, ut ita humores abundantes & collectae pinguedines conſumantur & partibus collapſis repoſitio facilius fieri queat. His autem fruſtra in uſum vocatis, quodſi aeger ſcalpello ſe ſubiicere renuat, ſcrotum ad dies vitae faſcia, quam *ſuſpenſoriam* vocant, ſuſtinere debebit.

§. XXII.

De operatione cruenta, ſeu per ſcalpellum.

I. Sectio caſtratoria.

Quodſi denique mitiori hac methodo nihil plane obtineri, nec etiam repoſitio perfici queat, tunc, accedentibus inprimis gravioribus ſymptomatibus, duro nodo durus quaerendus erit cuneus, & idcirco ad ferrum accedendum. Duplici autem communiter via incedunt illi, qui hernias *ſectione* curare intendunt, una nempe vulgari, ubi rudis magis & haud adeo ardua adhibetur enchireſis, quae indiſcriminatim a circumforaneis in uſum vocatur, quamque *caſtratoriam* vocant; altera magis artificioſa & quadantenus difficiliori, *punctum aureum* alias dicta. Prior communiter hunc in modum inſtituitur: Aegroto decenter collocato & alligato, ne improvide ſe moveat, locus, ubi inciſio fieri debet, in inguine vel ſcroto, linea atramento ſcriptorio ducta notatur, dein, manibus miniſtri notata illa cute elevata, ſectio inſtituitur, usque ad inteſtinum prolapſum, cavendo tamen, ne hoc laedatur. Dein reponuntur inteſtina provide in locum ſuum naturalem, ſeu abdomen, cum omento delapſo, & proceſſu peritonaei a partibus vicinis ſeparato, ac cum teſticulo vaſisque ſpermaticis, per vulnus protracto, quam altiſſime id fieri poteſt, filo ſericeo vel cannabino fortiori cerato ligatur, ac demum ſub ligatura abſcinditur proceſſus cum teſticulo ac vaſis

ſperma-

ſpermaticis, aut ſpontanea corruptione emori ſinitur, vulnusque dein more ſolito ad conſolidationem iterum deducitur.

II Sectio ſine caſtratione, ſeu aureum punctum.

§. XXIII. Quae vero ſine teſticuli amputatione inſtituitur ſectio, quamque vulgo *aureum punctum* vocant, ſequentem in modum peragitur: Repoſitis reponendis inciſio fit usque ad proceſſum peritonaei, cuius portione aliqua a partibus vicinis ſeparata, filum aureum, aut quodvis flexile, rubiginem non contrahens, transmittitur & circumiicitur, eiusque extremitates dein moderate, non tamen nimis arcte, ſibi mutuo intorquentur, ne forſitan pungant, adeoque dolores vel convulſiones excitent, tandemque ſecundum artem vulnus deligatur & conſolidatur. Et talis methodus locum inprimis habet, quando poſt repoſitionem ſenſim ſenſimque inteſtina ſemper iterum deſcendunt, aegerque diuturniorem per ſubligacula curationem non admittere, ſed breviori temporis ſpatio ſanari cupit. Alii loco fili aurei ſericeo quadruplicato, aut alio craſſiori incerato utuntur, quo circumvolvitur proceſſus, & in eo latere, ubi ruptus vel laxatus eſt, ſcarificatur, ac adhibitis adſtringentibus & travmaticis abdomini adglutinatur & conſolidatur. Ceterum ratione omenti ſimul prolapſi optime monet celeberr. GÜNTZIVS, in *Proluſione ad anatomicas exercitat.* M. Mart. huius anni publicata, in qua ſimul obſervationem *de Entero-epiplocele* proponit, quoniam raro ſpatium adeſſet, quod id in abdomine iterum admittat, non ſatis tuto illud refundi poſſe, quin potius praeſtare exiſtimat, illud replicatum ex infimo ſacci loco caute protrahere, explicatumque ad inguen reclinare, ac, ſi forte peritonaei adpendici adhaereat, prius reſolvere, & tandem prolapſam illam portionem ſectione prorſus auferre, nec etiam opus eſſe, ut filo prius illud conſtringatur, quoniam plerumque a magis collecta pinguedine intumuit, & vaſa inde plus compreſſa & anguſtiora reddita ſunt, ſicque ſanguinis profuſio vel inhibetur, vel perquam exigua ſubſequitur. De *diaeta* vero denique quaedam monere ſupervacaneum iudicamus, cum per ſe pateat, illos, ubi vel repoſitio, vel palliativa curatio, mediante geſtatione ammatis convenientis, obtineri poteſt, diaetam valetudinariorum; reliquos autem, in quibus ſectio inſtituta fuit, diaetam vulneratorum obſervare debere.

T A N T V M.